

definitionis, divisionis, oppositarum & aequipollentium antecedenter positas & declaratas, septem adhuc aliae argumentationum species in scholis communiter solent recenseri, suntque sequentes: *inductio, exemplum, sorites, dilemma, entyhemema, epicheirema, & tandem syllogismus.*

### §. 8.

*Quo ordine de his agere nobis constitutum sit?*

**Q**uoniam vero recensitae argumentationis species pene omnes tales sunt, ut ad syllogismum facile unum aut plures saltem revocari possint; de syllogismo primum, ac exinde de aliis quoque argumentationis speciebus agere consti-tuimus. Sit itaque

## C A P U T II. DE SYLLOGISMO.

### §. I.

*Quid fit syllogismus?*

**I**n syllogismo definiendo parum consentiunt Autatores. Syllogismus ab Aristotele describitur: *oratio, in qua quibusdam positis necesse est aliud diversum a positis evenire, quia haec posita sunt: quae definitio clarius traditur ab aliis sequenti modo: est oratio, in qua duabus propositionibus positis, quarum altera major, altera minor vocatur, quae-dam propositio scilicet conclusio sequitur necessario ex*

eo, quod verae sint duae priores. Antonius Genuensis syllogismum dicit argumentationem, per quam posito toto aliquid efficitur necessario de parte, quae in eo continetur. Alii dicunt: est argumentatio, in qua quibusdam propositionibus concessis necesse est, alias concedere, eoque priores sunt concessae. Alii dicunt: syllogismus est argumentatio tribus propositionibus constans ita inter se connexis, ut tertia, quae vocatur conclusio, in altera praemissarum contineatur, & per alteram ostendatur eam contineri, atque adeo falsa esse non possit, si illae sint verae. Ut tamen, quid de definitionibus hic positis sentiamus, ingenue fateamur, nulla nobis placet; nec syllogismum melius exponi posse credimus, quam si argumentatio completa esse dicatur.

### §. 2.

#### *Divisio syllogismi in categoricum, complexum & compositum.*

Syllogismus varie dividitur, ac primo quidem in simplicem & compositum. Syllogismus simplex in categoricum seu talcm, cuius omnes propositiones terminis simplicibus constant, & complexum subdividitur. Syllogismus complexus ab Auctore artis cogitandi ille dicitur, cuius conclusionis termini, complexi cum sint, non toti & integri in praemissis sumebantur, sed pars tantum utriusque termini; veluti est sequens syllogismus: *sol est res sensu carens; Persae adorarunt solem; ergo Persae adorarunt rem sensu carentem.* Syllogismus compositus est, cuius una saltem praemissa est composta; hicque varie rursum pro diversitate scilicet propositionum compositarum subdividitur.

### §. 3.

§. 3.

*Divisio Syllogismi in perfectum & imperfectum.*

Syllogismus porro alias dicitur esse perfectus, imperfectus alias. Syllogismus perfectus dicitur, cuius forma utpote maxime naturalis cuique manifesta est & evidens. Syllogismus imperfectus est, cuius forma quodammodo involuta est, nec proinde tam facile a quolibet perspicitur.

§. 4.

*Principia syllogistica.*

Ex his, quae de syllogismo dicta sunt, intelligis, principia syllogistica alia non esse, quam quae argumentationis supra cap. *praeced.* esse diximus; unde illa hic repetere, necesse non est.

§. 5.

*Quid regulae syllogisticae?*

Ut vero, num principia in syllogismo praesertim categorico rite observata sint, facilius dispici queat; Logicis generales quasdam regulas statuere placuit, de quibus nunc agendum.

